

nam adhortatur. *Ibid. col. 359. & seq.*

Eiusdem, homilia quarta, sacramentum hodierni mysterij laudibus prosequitur gratiam novæ legis hominibus in hac natiuitate effusam, cum beneficijs Israelitico populo olim concessis, confert, & ad credenda pueri nati mysteria auditorum animos efficaciter inducit. *Ibidem col. 361. & sequent.*

Eiusdem, homilia quinta, imprimis docet Christi Natiuitatem credendam esse, non discutiendam; insuper circumstantiarum partus virginis, & ortus Christi arcana reuelat, ac tandem nouitatem mysterij præconijs celebrat. *Ibid. col. 362. & sequent.*

Eiusdem, homilia sexta multimoda, celestium sacramentorum hodiernæ festiuitatis gratia declaratur, depique cur Christus ex femina nouo modo hæctenus & deinceps inuitato nasci uoluerit perpendetur. *Ibid. col. 364.*

* NICOLAI DE CVSA. sermo, pro solemnitate Natiuitatis Domini *Hec loquere & exhortare &c. Tit. 2.* in quo postquam declarauit uerbum uiuum in sermone facere nobis Eucharistiam sapidam, quæ non sit cibus animæ rationalis nisi per illuminationem uerbi: multa de Iesu docet. Primò. Esse ueracem & ueritatem; pium, & pietatem; saluatorem, & saluationem; sapientem, & sapientiam &c. & omne illud in quo humana natura est assequuta omne id quod desiderat. Secundò. Apparitionem esse absconditi Dei & reuelationem; in filiatione eius coinfidere omnem filiationem naturæ & gratiæ; In eo semen Adam assequutum esse benedictionem, seu immortalitatem, ideo immutari in eomnes fideles in filios Dei. Tertiò. Sicut uita patris est abscondita in uita filij, ita uitam nostram esse in Iesu. Quartò. Christum esse absconditum in christianis, quorum uita est abscondita in Christo. Quintò. Ipsum in hoc mundo inuisibiliter absconditum; manifestandum in die illâ quando reuelabitur abscondita. Sextò. Adam unum multiplicatum esse in suis posteris; sic

A Christum unum in fidelibus in quibus renouatur, &c. *Lib. 9. excitat apag. 626. ad pag. 631.*

Eiusdem, in præfata uerba per quæ. I. Duplicem à nobis abnegationem exoptat. 1. impietatis, quæ non fit nisi quando pietas posuit sedem suam in uoluntate, & ipsam animam possidet; 2. sæcularium desideriorum, quæ sunt auaritia, luxuria, superbia. II. Signa talium abnegationum dicit esse sobrietatem, iustitiam, pietatem; per quas anima præparatur ad receptionem formæ Christi. *Ex lib. 9. excitationum pag. 631.*

Eiusdem, sermo, pro lectione Epist. *Multifariam multisque modis, &c. Hebr. 1.* ex quo hæc edisce. I. Recipientes per fidem uerbum in filio recipere in se mentem Dei, quæ est in filio, ideo effici christi formes. II. Ad inuisibilem Deum accedi, fide, qua credimus Christum esse Dei filium, Dei nostri & patris sui ostensorem. III. Quatuor esse gradus cognitionis Dei; 1. est naturalis, quem ex desiderijs spiritus rationalis elicimus; 2. mysticus qui est in lumine altiori, ubi reuelatur animæ, Deum esse supra id omne quod nomina desideriorum spiritus exprimunt; 3. ostensionis faciei Dei, quæ facies mansit in caligine in secundo modo, & est lumen illuminans caliginem; 4. Quidditas Dei, excedens omnem mensuram cognitionis illius quæ non est ipsa qui dicitur. *Excitationum lib. 8. a pag. 620. ad pag. 624.*

Idem, sermone; ex Luc. uerbis *Gloria in altissimis Deo. cap. 2.* postquam labore hominum, esse ad descriptionem orbis; Angelicum ad annunciantium saluatorem; quem glorificent in celo uirtutes cælestes, & in terrâ homines pacis, pronunciauit, duplicem uerbi natiuitatem distinguit. Primam. Dicit esse in Patre, quæ est processus intellectualis uerbi à patre; in Deo enim est intellectuale seu mentale uerbum, in quo se & reliqua omnia intelligit. Secundum. In nobis; quoniam uerbum caro factum habitauit in hominibus bonæ uoluntatis;